

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput XXIX. Continens Historiam, Quod Jesus, Post Colloquium Cum  
Nicodemo, In Terra Iudea Docendo Et Baptizando Versatus Sit Usque Ad  
Captivitatem Baptistæ: Quodque Eodem Tempore Joannes Adhuc ...

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

in principio Genesios, articulos fidei, seu capita doctrinae cœlestis, quæ firma & certa sunt, præsupponere, & ad illa textum obscuriorum quomodo cunq; accommodare. Ita enim explicatio in locis obscurioribus, etiam si verborū proprietatem non ubiq; assequatur, in fide tamen non errabit. Sed hoc loco, veritatem facere, non est, peccata agnoscere. Christus enim hæc duo oponit: Malè agere, & veritatem facere. Loquitur ergo de altera parte regenerationis, qua renovatione seu sanctificatio appellatur. Et doctrinam illam paucis & breviter hoc loco ita complectitur: 1. quod in regeneratione non tantum gratia Dei, adoptio, & salus fide apprehendatur; sed quod sequatur etiam veritas, quam Paulus Eph. 4, 23. vocat renovationem spiritus mentis nostræ, & novum hominem, in justitia, sanctitate & veritate. Quod enim natus est ex spiritu, non manet caro, sine omni renovatione: sed est spiritus. Ita enim pars hominis renovata appellatur. 2. Quod verè bona opera consistant non in externa specie, seu externa conformatio actionum cum Lege Dei, sine veris interioribus motibus, sed quod consistant in veritate, hoc est, in novis & veris motibus interioribus accensis à Spiritu sancto. Quod enim hoc loco Christus dicit, (*veritatem facere*:) hoc Paulus Eph. 4. v. 21. ita explicat, sicut est veritas in Iesu, deponere veterem hominem, & renovare spiritu mentis vestræ, ac induere novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis. 3. Ostendit, quomodo talia opera præstari possit, quod scilicet non sint fructus carnis, hoc est, quod non viribus naturalibus liberi arbitrii præstari, sed (*in Deo*) fieri debeant, hoc est, Deo per Spiritum mentis renovante, novas virtutes accidente, & spirituales facultates ad præstanda verè bona opera, subministrante. 4. Quod verè bona opera non sint vel electio, Col. 2, 8. Deut. 12, 8. vel ex præscripto traditionum humanarum suscepta, Matt.

15, 9. sed (*in Deo facta*,) hoc est, quia Deus in verbo suo preparavit & præscripsit, ut in illis ambulemus, Ephes. 2, 10. 5. Ostendit, quomodo credentium bona opera Deo placeant: quia scilicet (*in Deo sunt facta*:) hoc est, quia persona fide cum Deo reconciliata est, & quia venit ad lucem, hoc est, ad Christum, Johan. 1, 8. propter quem spirituales illæ hostiæ 1. Pet. 2, 5. placent Deo. Hac enim omnia comprehenduntur hac phrasis, (*Quia in Deo facta sunt*,) hoc est, quia à Deo præscripta, ejus ope, ad ipsius gloriam præstata, quæque in Deo, seu propter Christum placent. 6. Quia vero, volentibus bonum facere, adjacet malum, Rom. 7, 21. ideo necesse est, accedere ad illam veritatem, de qua 1. Johan. 1. v. 8. scriptum est, ut agnoscamus & confiteamur peccata nostra: ut scilicet in nova obedientia adsit, & in humilitate agnitione, & in veritate confessio, quod tanquam pannus menstruatus sint universæ justitiae nostræ, Isa. 64. v. 6. Illas vero adhærentes fortes discunt renati agnoscere, quando ad lucem veniunt, & statuunt, fide propter Christum illas tegi. Monet etiam hæc sententia, quando juxta mandatum Dei rectè agimus, hoc est, quando veritatem facimus, non debere nos curare varia & iniquiora mundi iudicia: ex sola enim verbi Dei luce dexterè factis judicandum: ac Deo soli iudicium de operibus nostris commendandum. Postremo, talibus operibus promittit, quod licet coram mundo non magnam habeant speciem & laudem: fore tamen, ut, quæ nunc quasi in tenebris abjecta jaceant, in lucem aliquando adducantur, manifestentur, & celebrentur, quod in Deo sint facta, Matth. 25, 40. Ipsa vero gratia, adoptio & vita æterna, non nostrorum operum, sed justitia, obedientia & passionis Christi merces est, nostri vero respectu, gratuitum Dei donum est, Rom. 6, 23. Ita ergo in hac sententia Christus ostendit, regeneratorum bona opera multis nominibus præstantiora esse, quam Pharisæorum.

## CAPUT XXIX.

CONTINENS HISTORIAM, QUOD JESUS, POST COLLOQUIUM CUM NICODEMO, IN TERRA JUDÆA DOCENDO ET BAPTIZANDO VERSATUS SIT USQUE AD CAPTIVITATEM BAPTISTÆ: QUODQUE EODEM TEMPORE JOANNES ADHUC BAPTIZARIT IN AENON, Johann. 3.

## RATIO ORDINIS.

**N** præcedenti capite ostendimus, Iesum, exactis felicitatibus, non solitum diu hærere Hierosolymis. Ideo, non diu post insigne illud colloquium cum Nicodemo habitum, verisimile est, ipsum discessisse ex urbe. Quia vero Evangelista dicit, Iesum venisse in terram Judæam, cum Jerusalem in ipsa Judæa sita sit, quidam existimant, ipsum ex Hierosolymis tunc reversum in Galilæam, atque inde rediisse in Judæam: cum ratio temporis hoc facile admittat. Sunt enim

à colloquio Nicodemico usque ad captivitatem Baptistæ menses sex & ultra, sed hujus perfectionis in descriptione Johannis nullum extat vestigium. Scholastica historia conatur periodum illam, quæ Luca 4. vers. 14. de reverione Jesu in Galilæam extat, hūc referre. Sed Matth. cap. 4, 12. tradit ea, quæ Jesus in Synagogis Galilææ doctrina & signis fecit, facta post captivitatem Baptistæ. Simplicissima igitur ratio est, quam in proximo capite exposuimus: quod scilicet per terram Judæam Evangelista intelligat terram sortis seu tribus Iuda. Exempla enim Scripturæ

ptura ostendunt, Iudæam aliquando generaliter accipi, ut simul etiam Jerusalem complectatur, ut 1. Efd. 1, 2. & 2. Paral. 36, 23. ubi dicitur, Hierusalem que est in Iudea. Aliquando vero Ierusalem à Judea distinguitur, ut cum distincte nominatur Judea & Ierusalem, 1. Efd. 2. v. 1. & 7. v. 14. Item, 2. Par. 11. v. 14, 20, 17. & 36, 10. & in Evangelistarum etiam narrationibus distincta & quidem hoc ordine nominatur Iudea, Ierusalem, Samaria, Galilæa, & regio Circumjordanis, Matth. 3. v. 5. Luc. 5. v. 17. & 6. v. 17. Joh. 4. v. 3. Acto. 9, 1. Distinguuntur autem Ierusalem à Judea vel tanquam Metropolis à reliqua circumiacente regione: ut si dicas, ex Brunfusico venit in agrum Brunfusensem: vel, quod magis hoc loco placet, quia Ierusalem in tribu Benjamin sita est, dicitur, Jesus inde divertisse in terram tribui Judea assignatam, à Ierusalem versus Meridiem,

quæ complectitur etiam tribum Simeon. Quomodo vero inde colligatur ratio & ordo profecitionum & peragrationum terræ, in primo anno ministerii Christi, in præcedenti capite Harmonia ostendimus. Conjunxi autem in hoc capite illa etiam verba, quæ de Johanne baptizante adhuc in Enon, Evangelista posuit. Quæ licet diversa & distincta sit historia: tamen quia Evangelista voluit conjungere, quid eodem tempore, quando Christus in terra Judea docuit & baptizavit, Baptista interea egerit, & ubi versatus tunc fuerit, idèo in uno & eodem capite Harmonia duo illa etiam complecti volui: præsertim, cum paucissimis etiam verbis utrumque breviter tantum annotatum sit, ut non commodum fuerit, duo inde capita facere, cum etiam in descriptione per copulativam conjunctionem ita conjungantur, ut discerpinon possint.

### HISTORIA DE JESU VENIENTE EX JERUSALEM IN TERRAM JUDEAM, AC DOCENTE ET BAPTIZANTE IBI, USQUE AD CAPTIVITATEM BAPTISTÆ: QUODQUE INTEREA BAPTISTA ETIAM IN ENON BAPTIZARIT, JOH. 3.

22. Μετὰ ταῦτα ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὴν Ἰερουσαλήμ· καὶ ἐκεῖ διέτελε μετ' αὐτῶν, καὶ ἐβάπτιζεν.
23. Ἡνὶ δὲ καὶ Ἰωάννης Βαπτιστὴς ἐν τῷ Αἴγανῳ ἐγγύ τοῦ Σαλίμ, οὗ ὑδατο τολλάτῳ ἦν· καὶ παρεγύνοντο καὶ ἐβαπτίζοντο.
24. Οὕτω δὲ λόγος βεβλημένος εἰς τὸ φυλακτὸν ἱωάννης.
22. Post hec venit Jesus & discipuli ejus in terram Iudeam: & illic morabatur cum eis, ac baptizabat.
23. Baptizabat autem & Joannes in Enon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illi: & veniebant ac baptizabantur.
24. Nonnum enim conjectus fuerat Johannes in carcerem.

### Periocha hujus historiae.

Iesus igitur, post colloquium cum Nicodemo, relicta urbe Ierusalem, in terram tribus seu fortis Iudea venit. Nec vero obiter tantum transiit, aut paucis diebus ibi mansit: sed diebus ibi, inquit Evangelista, quod significat, tempus extrahere, & mora diuturniori in loco aliquo manere & conversari. Nam usque ad captivitatem Baptista ibi continuè mansit. Quod si ponamus in festo Pentecostes colloquium illud cum Nicodemo habitu, erunt usque ad transitum per Samariam, quando quatuor adhuc menses ad messem seu Pascha supererant, Joh. 4. v. 35. quinque aut sex ferme menses, quibus Christus continuè in terra illa Iudea manuit. Et hoc Evangelista verbo διατείσεω indicare voluit. Ac ratio locorum consideretur. In illa enim parte Iudea Patriarchæ, Abraham, Isaac, Jacob, ut plurimum versati sunt. Ibi præcipuas patefactio[n]es & repetitiones promissionis de benedicto semine accepertunt. Ibi spe promissionis de Messia, sepulti sunt. Ibi igitur Christus impletionem & exhibitionem illam promissionum more aliquantò diuturniore prædicare, & primo suo Baptismo obsignare voluit. Hæc pie considerari possunt, collatis hūc historiis Patriarcharum ex Genesi. Non autem in uno aliquo loco in tribu Iudea oculos vel delituit, vel defedit: sed loca terræ illius docendo & baptizando peragravit. Ideo Evangelista dicit, Jesum non solum, nec cum cognitis, sed cum discipulis suis venisse in terram Iudeam. Illorū enim ministerio in baptizandis auditoribus suis usus est, Joh. 4, 2. Et ordo notandus est, quod Christus non

statim, cùm ex deserto rediisset, nec cùm primum ad Festum Paschatis Hierosolymas venisset, cœperit baptizare: sed quod docendo per aliquot menses prius fundamenta posuerit de regeneratione ex aqua & spiritu. Deinde in terra Iudea primū cœperit baptizare. Nam & Baptista in deserto Iudeæ baptismum coepit, Matth. 3, 1. Ut igitur Christus offendiceret, se eum esse, de quo Baptista in illis locis prædicarat, (post me veniet, vel me subsecuturus es,) ideo in terra Iudea cœpit baptizare. Et grata nobis esse debet illa Evangelista Johannis notatio. Alias enim, iuxta reliquorum Evangelistarum descriptiones, videatur Iesum ante ascensionem per discipulos suos non baptizasse, sed solius verbi ministerio Ecclesiæ sibi collegisse. Nam & ex hac imaginatione quidam existimant, baptismum Apostolorum post resurrectionem à Christo primum institutum, & post ascensionem primum in Ecclesia inchoatum, cùm hoc tantum Matth. 28, 19. Christus instituit, baptismum, qui inter Iudeos hactenus a Baptista & discipulis administratus fuerat, post hac etiam Gentibus communem esse debere.

Addit autem Evangelista, & Joannem eo tempore adhuc baptizasse: & homines venisse, ac baptismum Joannis suscepisse. Et locum, ubi tunc Joannes baptizariit, notat, scilicet (*in Enon, iuxta Salim.*) Et nominatur quidem Enon in tribu Iudea & Simeon, Iosua 15. v. 8. & 18. v. 16. Sed alius ibi vocabulum est, & aliter scribitur, scilicet, אֶנוֹן: Ezech. 47. vers. 17. scribitur אֶנוֹן Enon. Sed ibi est locus in finibus Damascenis: ideo

ideò ad differentiā Evangelista nominat Ānon juxta Salem. Nomen autem habet à fonte seu scaturigine aquarum, sicut in aliis locis appellatiōes tales fuerunt, ut Josuæ 15, 32. יְהוּן Regel, fenes, fons Regel, fons solis. Et hoc loco Evangelista addit, (*Aqua multa erant illie:*) alludens ad etymologiam vocabuli. Syrus legit בָּנֵן שׁׂׂעִיר quod in Ebraismo sonat, fontem luti, seu turbidum. Sed hoc non convenit: munda enim aqua baptizabant. Erit igitur apud Syrum propriū nōmen Ian vel Iavan, quasi fons Iavan, qui fuit Iapeti filius, Gen. 10, 2. Quod igitur Joannes in Ān Iavan baptizavit, præludium fuit baptismum gentibus, Iapeti filiis, communem fore. Situm verò hujus Ānon quidam ponunt in illo loco, ubi torrens Jacob in Jordanem influit, in ripa Jordanis orientali, ubi Jacob cum Angelo luctatus vidit scalam e cœlo, &c. Quæ mysteria pulcrè quidem convenient: sed Evangelista descriptio hunc situm non admittit. Discipuli enim Joannis accedentes ipsum in Ānon, dicunt, Bethabaram respectu Ānon sitam τέραν trans Jordanem. Ānon ergò oportuit non in eadem ripa ubi Bethabara, sed in opposita Occidentalē scilicet ripa sitam fuisse. Quia verò Joannes dicit, Ānon propè Salim fuisse, Hieron. in epistola quadam ad Evagrium ostendit, non fuisse Hierusalem, sed illam Salem, cum Genes. 33, 18. Jacob scribitur transisse in Salem urbem Sichimorum, cuius Rex Melchisedech scribitur fuisse, Gen. 14, 18. ejus enim palatium inter rudera sub terra, suo adhuc tempore ostensem fuisse, Hieronymus scribit. Addit autem, non referre utrum Salem aut Salim nominetur, cum vocalibus in mediis literis perrorū utantur Ebræi, & pro voluntate lectorum, atque veritate regionum, eadem verba diversis sonis & accentibus proferantur. Hæc Hieronymus Brocardus scribit, Ānon à Sichem civitate distare quatuor miliaribꝫ, procedendo versus ortum ad Jordanem. Sichem autem in tribu Manasse sita fuit: ubi Samaria postea fuit. Non quidem in media Samaria, sed inter Samariam & Jordānem fuerunt montana Ephraim, vel Acrabitenā: & inter illa montana & Jordānē planities fuit, dicta Aulon, seu vallis regia, aut convallis illustris: ibi sita fuit Salim & Ānon, ubi è regione in adversa ripa torrens Jacob influit in Jordānē, non procul à lacu Genezareth, & à Galilæa. Atque inde ratio profectionum Baptiste, seu quæ loca ministerio suo peragrārit, colligi potest. Cœpit enim in deserto Judæa, Matth. 3, 1. quod fuit in ripa Jordani Occidentali. Postea progressus ad Jordanem, à Meride Septentrionē versus, trans Jordanem, in Bethabara baptizavit. Jam ulterius progressus versus Septentrionem, transmissio Jordani in Ānon ad fines Galilæa è regione Samariæ baptizat. Regiones igitur, utriusque Jordani ripæ orientali & occidentali, adjacentes, qua περιχώροι vocantur, Baptista ministerio suo peragravit: Ac tandem ipsum in Herodis ditionem, in Galilæam progressum fuisse, historia captivitatis ejus ostendit. Hæc consideratio profectiōnum Baptiste jucunda est. Discessisse autem Baptistam paululum à Jordane, Evangelista ostendit, cùm inquit, (*in Ānon fuisse multas aquas:*) qua additione nō fuisset opus, si in ipso Jordane tunc

Johannes baptizasset. Voluit autem Johannes non in Jordane tantum, sed in aliis etiam aquis baptizare, sicut idem in terra Judæa Christus scribitur hoc loco fecisse: ne Jordanis aqua sanctior existimaretur, aut ne quis referre putet, qualis aqua sit, quæ ad baptismum adhibenda sit. Dignum autem est consideratione, cum Baptista missus esset baptizare aqua, ut Christus ita manifesteretur, utque baptismō suo viam venturo Deo minimo præpararet: quod etiam post factam circa Jordānem Christi manifestationē, presente jam & exhibito Christo, Iohannes baptizare non defit. Sicut enim divinitus vocatus & missus erat ad baptizandum, ita sine peculiari mandato Dei à ministerio suo defistere nec voluit, nec debuit. Maximè verò, quia Christus non statim post baptismum omni populo manifestus & notus fuit. Tamdiu igitur Johannes baptizavit, quamdiu opus fuit præparatione pupuli ad suscipiendum Christum præsentem, & donec per totam terram Israël omni populo Christus manifestaretur: id quod per integrum fermè annum duravit, post Christum baptizatum, usque ad Baptista captivitatem. Hoc verò loco, quia Evangelista dicit, & Christum & Ioannem simul baptizasse, observandum est, quæ fuerit forma baptismi Joannis, & quæ forma baptismi discipulorum Christi. Baptista enim primo baptizavit in eum, qui mox venturus esset, Act. 19, 4. Postquam vero in baptismō manifestatus fuerat Christus, Joannes non amplius in venturum, sed in hanc doctrinā baptizavit, sicut Joh. 1, 16. ipse explicat: Messias jam in medium vestri processit, sed nondum novissem eum. Tetiò verò, cum jam Christus officium suum incoasset, publicè docens, & ministerio discipulorum baptizans, Joannes absque dubio non amplius in venturum & ignotum Messiam baptizavit, nec ita suos baptizavit, ut amplius nihil quereret: sed ut baptismō suo sponsam ad ipsum sponsum dederet: Joh. 3, 29. nullum igitur dubium est, Johannem eos, quos tunc baptizavit, statim ad Jesum in terra Iudæa docentem & baptizantem, ut ad verum Messiam Dominum & sponsum misisse & ablegasse. Et inde factum est, quod plures facti sunt discipuli Christi quām Baptista, Joh. 4, 1. & inde Johannis discipuli dicunt, omnes jam veniunt ad illum, cui tu trans Jordanem testimonium præbuisti. Ne verò res ex composito inter duos illos agi videretur, Baptista in finibus Galilæa, Christus in tribu Iuda tunc docuit & baptizavit, intervallo miliarum Germanicorum viginti & amplius. Et in modo quidem patefactiōnum Messiae discrimen aliquod fuit: ipsa verò substantialis forma doctrinæ, quam Joannes baptismō suo obsignavit, eadem fuit cum doctrina Christi & Apostolorum. Docuit enim Baptista: 1. Quod Deus Pater miserit Filium, & omnia ipsi dederit in manus. 2. Quod unigenitus Filius Dei sit agnus Dei, tollens peccatum mundi: ut qui credit in Filium, habeat vitam aeternā. 3. Docuit, Deum dare Filio Spiritum non ad mensurā, ut baptizet Spiritu. Et hanc doctrinam Joannes baptismō suo obsignavit. Quæ verò fuerit forma baptismi Christi, quæ per ministerium Apostolorū Iesus tunc in terra Iudæa, & postea usq; ad ascensionem suam

suam administravit, non aliunde, sed ex concione Christi ad Nicodemum de regeneratione, sumendum est. Ibi vero capita doctrinæ sunt: 1. Deus unigenitum filium misit in mundum, ut mundus per eum salveretur. 2. Filius descendit de celo, ut exaltaretur in cruce, ut qui credit in ipsum, habeat vitam æternam. 3. Spiritus ex aqua regenerat nos, ut propter Christum adoptionem & vitam æternam accipiamus. Hanc doctrinam Discipuli Christi baptismo illo, qui Joh. 3. & 4. describitur, obsignarunt. Manifestum autem est, inter hanc doctrinam & Baptista, sicut ostendimus, nullam esse differentiam. Et idem profecto nec aliud est, quod post resurrectionem, Matth. 28, 19. Christus jubet baptizare in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti. Imò illa verba ex his fundamentis illuvrantur. Quod igitur tam variè disputatur de discrimine baptismi Joannis & Apostolorum, ex his fundamentis simplicissimè dijudicari potest: Duo enim in baptismo sunt, Elementum & Verbum seu forma. In elemento & externa administratione baptismi, nulla potest ostendi differentia inter baptismum Johannis & Apostolorum, sive mersione sive effusionem aquæ, ut Ezech. 36, 25. nominatur, usurparint. Ad substantiam enim baptismi sufficit, ut sit lavacrum aquæ in verbo, Eph. 5, 26. Nec in forma seu verbo, hoc est, in doctrina, & fide in quam baptizavit Johannes, & in quam Apostoli baptizarunt, ulla substantialis est differentia, sicut ostendimus. Conveniunt etiam in effectu, Johannes enim dedit baptismum pœnitentiarum, in remissionem peccatorum, Marc. 1, 4. Et eadem Apostolorum Baptismo tribuuntur, Acto. 2. v. 38. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum. Neq; dici potest, quod Baptista suos baptizari ut homo: Christus vero ut Deus & homo baptizari suos. Jesus enim, manibus scilicet & aqua, neminem baptizavit, Joh. 4, 2. Sed idem, qui efficax fuit per Apostolorum baptismum, operatus etiam fuit per Johannis baptismum. Reliquum igitur tantum erit hoc discrimen, quod Johannes in Christum venturum baptizavit: Apostoli vero in manifestatum & exhibitum. Sed inde non potest constitui essentia lis differentia. Nam & ipse Joannes, cum in Ænon baptizaret, non baptizavit amplius in venturum Christum, sed in exhibitum & jam præsentem. Cumque discipuli, Joh. 3. v. 22. & postea, baptizari in Christum exhibitum, qui exaltatione sua sublatus esset peccata mundi, post resurrectionem vero baptizari in eum, qui jam passus erat & resuscitatus. Quis vero ideo dicet, in ipsa substancia baptismi Apostolorum, quem ante passionem Christi, & quem postea administrarunt, essentiale differentia esse, licet in modo patefactionis Christi discrimen aliquod sit?

Alia vero adhuc restant quæstiones de baptismo Johannis. Et hoc quidem certum est, eos, qui à Johanne baptizati ante manifestatum Christum mortui sunt, illa fide & baptismo salvatos: sicut Zacharias circumcisus, qui ante Baptismum Johannis mortuus est, agnitione pueri Jesu salvatus est. Quia vero Johannes baptizabat, ut populum præpararet, & ad suscipiendum Messiam duceret: Quæstio est, cum Christus jam manife-

status cœpisset docere, & ministerio Apostolorum baptizare: An illi, qui antea à Johanne baptizati, tunc ad ipsum Christum veniebant, adjuncturi se ipsi ut Messiae: An illi, inquam, sine baptismo Apostolorum recepti sint in Ecclesiam, quam Christus ministerio suo colligebat, & sibi adjungebat? Et multa quidem disputantur. Sed ex historia Evangelica certò affirmari non potest, Apostolos illos tantum baptizasse, qui Johannis baptismum non acceperant: reliquos vero, qui à Johanne baptizati fuerant, ita Christi discipulos & membra ecclesia ejus, quam externo ministerio colligebat, factos esse, ut ministerio Apostolorum non baptizarentur. Quando enim postea jubet baptizari omnes gentes, non excipit illos, qui à Johanne fuerant baptizati. Et inter octo illa millia, quæ Act. 2, 41. & 4, 4. baptizantur, sine dubio multi fuerunt, qui Johannis baptismum antea acceperant. Et ita erudit quidam etiam disputant de loco Act. 19, 3; sed illam disputacionem nolo nunc fusius persequi, relinquens lettori judicium. Illud vero magis refert observare, quod Joh. c. 4. v. 2. inquit, non ipsum Jesum aqua baptizasse, sed ulrum esse ad hoc ministerio Apostolorum, & tamen c. 3, 22. vocatur baptismus Christi. Dicit enim, Jesus baptizabat. Ratio à veteribus hæc assignatur, Christum ab externa administratione Baptismi aquæ ideò abstinuisse, ut illustre extaret discrimen inter personas ministrorum & Christi: quod scilicet Christus sit, qui baptizet Spiritu sancto: Ministros vero externum tantum ministerium adhibere, per quod tamen Christus efficax est, effundens Spiritum sanctum, Tit. 3, 6. Et vera est hæc ratio. Addenda vero est & altera: Ideò scilicet Christum tempore ministerii sui noluisse baptismum aquæ administrare, ut certum esset, virtutem & efficaciam baptismi non pendere ex qualitate persona, que externam actionem administrat: sed baptismum, qui ministerio hominis mortalis, ex mandato & juxta institutionem Christi datur, esse non hominis, sed Christi baptismum, & habere virtutem & efficaciam suam non à ministro baptizante, sed ab ipso Christo, qui per externum illud ministerium intus Spiritu sancto baptizat. Sine dubio enim illorum baptismus dignior & efficacior habitus fuisset, quem Christus ipse suis manibus externa actione administrasset, quam qui Apostolorum ministerio datus fuisset. Notum enim est, quid Paulo in simili prorsus casu acciderit, 1. Cor. 1, 14. Ideò Jesus noluit externo ministerio ipse baptizare. Est vero in verbis Evangelistæ & hoc observandum, Christum non tantum intus baptizare Spiritu: sed ipsum etiam externum baptismum, qui ministerio Apostolorum fit, Christo tribui. Ita ut Johannes hoc loco, quando de externo baptismo aquæ loquitur, dicat, Christum illos baptizasse: quos tamen discipuli baptizarunt. Non enim suo, sed Christi nomine, baptizarunt.

Moverunt autem & illa quæstio, à quo ipsi discipuli vel Apostoli baptizati sint, qui postea mandato nomine & loco Christi baptizarunt, Joh. 3. v. 22. & 4. vers. 2. Quosdam ex ipsis fuisse Baptista discipulos, constat ex 1. capite Johannis, & discipuli Baptista sine dubio baptismum ipsius suscep-

si se pertinet. Apud Nicephorum l. 2. c. 3. recitatur ex epistola Evodii, Christum suis manibus baptisatum aqua contulisse Petro: qui deinde fratrem suum Andream & filios Zebedai baptizari. ab illis vero reliquos Apostolos baptizatos esse. Euthymius in 3. c. Joannis inquit: Scribunt quidam, Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum & virginem matrem baptizaverit: Petrus vero reliquos omnes Apostolos. Augustinus ad Seleucianum ostendit, questionem hanc non uno modo in Ecclesia disputatam fuisse: & respondet ad eam, non necessaria aliqua ratione, sed conjectura, quam vocat credibilem. Ita etiam inquit: intelligimus discipulos Christi jam fuisse baptizatos, sive baptismo Joannis, sicut non nulli arbitrantur: sive, quod magis credibile est, baptismo Christi, neque enim baptizandi ministerio defuit, ut haberet baptizatos servos, per quos ceteros baptizaret, qui non defuit illis humilitatis ministerio, quando eis pedes lavit. Quod vero Joh. 4. 2. scriptum est, Iesum non baptizasse, sed discipulos ejus, hoc Auctor vitae Iesu ita explicat: Christum ministerium baptizandi Apostolis mandasse, non quod pro�rū neminem baptizari. sed sicut Paulus dicit, se non missum esse ad baptizandum, sed ad Evangelizandum, qui nihilominus tamen quosdam baptizavit, 1. Corinth. 1. 14. Sed in his questionibus, ubi certis & manifestis Scripturæ testimoniis desituimus, cohibere se debet humana temeritas, nihil in alteram partem asseverando, sicut alibi inquit Augustinus. Alias enim infinita gignuntur questiones, ut de Baptista: quomodo

ipse non baptizatus potuerit alios baptizare? Chrysostomus etiam hoc disputat: baptisatum discipulorum ante resurrectionem Christi, non fuisse illius virtutis & efficaciae, sicut post resurrectionem: carus enim gratia spiritus, quia spiritus nondum erat datus, cum Jesus nondum esset glorificatus, Joh. 7. 39. Sed haec opinio ab Alcino & Augustino recte refutatur, Christus enim in genere de baptismō inquit: Nisi quis rehatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingressum regnum Dei. Et locus Joh. 7. 39. loquitur de visibilibus donis spiritus. Sed his questionib⁹ omisis satius est in iis occupari, quae certa & utilia sunt.

Quod vero Evangelista addit: (Johannem tunc nondum fuisse in carcere conjectum,) eo consilio facit, ut ostendat, Joannem noluisse privato consilio aut arbitrio desistere à baptizando, nisi inhibitus: utque simul ordinem Evangelicæ historiae ita notet. Reliqui enim Evangelistæ à temptationibus Christi statim ad illas historias, quæ post captivitatem Baptista acciderunt, digrediuntur, Matth. 4. v. 12. Johannes igitur ostendit, se ea, quæ à reliquis Evangelistis præterita erant, annotasse, quæ scilicet facta sunt post baptizatum Christum, priusquam Baptista in carcere conjectetur. Et simul ordinem notat: ea scilicet, quæ tribus primis capitibus describit, pertinere ad illud tempus, cum nondum capitulus esset Baptista, & inserenda esse in illum locum, Matth. 4. 12. ubi post tentationes Christi statim subjicitur: (Cum audivisset Iesus, quod Johannes traditus esset, & cessisset in Galilæam.) Hæc observatio ordinis historiae & Harmonie Evangelicæ luculenter servit.

## CAPUT XXX.

### CONTINENS DESCRIPTIONM INTEMPESTIVI ZEII DISCIPULORUM BAPTISTÆ, PRO SUO MAGISTRO, CONTRA CHRISTUM: ET EA OCCASIONE HABITAM ULTIMAM BAPTISTÆ CONCIONEM ANTE CAPTIVITATEM, JOH. 3.

#### RATIO ORDINIS.

**G**eritum est, hanc historiam accidisse ante captivitatem Baptista. Recte itaque ante discessum Christi ex Iudea ponitur, & præcedentibus subiungitur. Non autem statim, cum JESUS in terra Iudea coepisset baptizare, hæc acciderunt: sed cum iam omnes, sicut textus habet, venirent ad Iesum, baptisatum ipsius suscipientes. Et non multò ante captivitatem

Baptista hanc ab ipso concionem habitam, verba ejus indicant. Cum enim inquit: (Gaudium meum impletum est. Item, Ipsum op̄t̄ credere, me vero minui, &c.) ostendit, se cursum ministerii sui consummasset. Inter illas igitur conciones Baptista, quas ante captivitatem ipsius habitas Evangeliste descriperunt, hanc penultimam esse, certum est. Ad quam ordine sequitur ultima, propter quam carceri traditus fuit.

#### HISTORIA DE DISPUTATIONE DISCIPULORUM BAPTISTÆ, ET DE POSTREMO TESTIMONIO EJUS DE CHRISTO, ANTE CAPTIVITATEM, JOHANN. 3.

25. Εγένετο δὲ οὗτης ἐκ τῶν παντῶν λόγων μετὰ Ισδρίων τοῦ παθαρισμοῦ.

26. Καὶ ἦλθον τῷρες τὸν λαὸν τοῦ εἰπον αὐτῷ· Ράβbi, οὐλών μετὰ σὲ πέραν τῆς Ἰορδανῆς, φόρου μεμαζήρηνταις, οἶδε, εἰ οὐ βαπτίζεις, καὶ πάντες ἔρχονται πρὸς αὐτὸν.

25. Ora est autem questio ex discipulis Johannis cum Iudeis de purificatione.

26. Et venerunt ad Johannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimoniūm peribubisti, ecce, is baptizat, & omnes veniunt ad eum.